



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. IV. Spoletana. Hæredum appellatione, an veniant solum primi, &
immediati, vel etiam secundi, sivè mediati, & ulteriores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

SPOLETANA

PRO
N. BERAR DELLA.*Responsum pro veritate.*

Hæredum appellatione, an veniant solum primi, & immediati, vel etiam secundi, sive mediati, & ulteriores.

SUMMARIUM.

- 1 **F**actis series.
- 2 In odiois appellatione hæredis venit solum primum hæres.
- 3 An obligatio camerallis contineat obligationem bonorum secundi hæredis.
- 4 Ususfructus constitutus etiam pro hærede, aut transferat ad secundum hæredem.
- 5 De emptione, & venditione ad vitam.
- 6 Appellatione hæredum, qui veniant.
- 7 De eodem, & quando etiam in indifferentibus veniant solum illi sanguinis.
- 8 Licet veniant isti, quod etiam requiratur qualitas hæreditaria.
- 9 Contrarium ex verisimili voluntate, cuius substantia attendi deberet.

DISC. IV.

Pompeus, & Berardellus pater & filius, viderunt Pompeo, & Olimpiæ prædium ad solam vitam ipsorum venditorum, ac hæredum Berardelli, & non ultra, adeòt eis defectis venditio resoluta censeretur; Ex Berardello autem tres fuerunt superstites filii, unus scilicet masculus & duæ foeminae, sed solus masculus, flante Statuto exclusivo foeminarum, easque extra-neas faciente, hæreditatem obtinuit; Cumque istius mors contigisset superstitie N. Berardella filia & hærede hinc ex istius parte, tanquam ob factum casum resolutionis contractus, motum fuit judicium in partibus super dicti prædii vindicatione contra emptorem, scilicet alterum ab eo causam habentem, per quem objiciebatur de non facto casu; Tum ob existentiam ejusdem atricis, quae tanquam neptis, & hæres mediazi Berardelli venditoris veniret sub dicto nomine hæredum ex vulgari axiomate, quod hæres hæredis testatoris est hæres, ideoque istud vocabulum convenire tam immediato, quam mediatu-m hæredi; Tum etiam, quod ubi etiam id non conveniret nisi primo, & immediato, adhuc tamen obstatet superviventia dictarum filiarum primi gra-dus, unde desuper ex parte dictæ atricis consultus fui.

Distinguendo autem causam in duos punctos; Primo scilicet, an hæredum nomine veniret ipsa atrix; Et secundo an veniret dictæ filiæ familiæ venditoris, quamvis ab hæreditate rei familiaris ex-clusa.

Ad primum respondi, probabiliorem videri negativam, dicto axiomate non obstante; Tum ex conclusione seu regula, quod in odiois & gravantibus, appellatione hæredis, venit solum primus, & immediatus non autem secundus, & mediatus

ad textum in loca sua 1. §. Pomponius ff. de minor. & l. unica §. Sin autem Cod. de caduc. coll. Bald. in l. ultima manu. 60 & 61. Cod. de hæred. insit. Peregr. de fidei; art. 32. num. 69. Fusar. quæst. 344. num. 9. Castill. lib. 1. controv. cap. 22. num. 65. & lib. 5. cap. 96. num. 38. cum concordantibus deducatis sub tit. de credito dis. 38. occasione agendi de puncto, an conclusio quam in Curia habemus receptam, ut sub obligatione camerali veniat etiam hypotheca bonorum hæredis, procedat solum in primo hærede, vel etiam in quo-cumque quamvis mediato, de quo ibi.

Tum clarius ob dispositionem, vel ratione textus in L. antiquitas C. de usfr. de cuius materia habetur actum sub tit. de feud. disc. 62. ut scilicet reliquo, vel concessio usfr. ut transmissibili ad hæredes, intelligatur de primis tantum, non autem de ulterioribus, ne detur multiplicatio exorbitantiarum contrâ naturam ususfructus, qui redolet servitutem personalem.

Id etenim subjecta materia benè congrueret dic-ebam, cum ita constaret venditores noluisse vendere ipsam rem, ejusque substantiam in perpetuum, sed solum facere voluisse contractum illius vitalitatis concessionis, de qua sub tit. de emptione & venditione disc. 1. & sic vendere solum certas vitas, scilicet com-moditatem istis durantibus; Ad instar illarum con-cessionum, quæ sunt ad duas, vel alias certas genera-tiones cum solo ordine inverso, ut scilicet quem admodum hujusmodi contractus ad vitam, vel con-cessiones ad generationes regulariter respiciunt vitam emptoris, vel concessionarii, isti respiciant vitam, vel certam generationem venditoris, scilicet con-cedentes eo modo, quo quandoque practicatur in societatibus officiorum contrahi solitis super peri-culo vita creditoris, nam quandoque contrahuntur super vita debitoris, ut in sua materia sub tit. de feudi. offic. lib. 5. de usfr. Vel magis ad rem, habemus in con-cessione commoditatis pensionum Ecclesiastica-rum, vel officiorum, scilicet feudorum, vel bonorum fideicommissariorum & similium, quod venditur vita venditoris, ac etiam aliorum, in quibus dictum juri-detur; Neque alias iste contractus intelligi poterat, quoniam dictum axioma, quod hæres hæredis testatoris est hæres, ita procedit in secundo, ac in tertio, & quarto, vel quocunque alio ulteriori, unde pro-terea dicta limitatio remaneret de vento nunquam verificabilis & consequenter in hac prima parte plau-ni videbatur, ut intelligendum esset de primis, ac immediatis, & consequenter quod existentia atricis non obstat.

Major autem difficultas residuebat in altero pun-cto, quamvis etenim regula sit, ut in bonis indis-ferentibus ad hæredes extraneos transitoris, ap-pellatione hæredum veniant illi rei familiaris, qui nimis etiam in materiis differentibus, ut sunt feu-da, emph. eufis Ecclesia, ac fideicommissa, & majoratus, aliaque similia, in quibus regulariter non venient nisi illi sanguinis, adhuc tamen utraque qualitas requista videtur, ut habetur presentum sub titulo de feudi, & sub tit. de emph. & sub altero de fideicommiss. ac alibi; Et conse-quenter quod ubi etiam in isto contractu initio, super bonis indisferentibus de sui natura transfor-mis ad extraneos, ex verisimili partium intentione istud verbum hæredibus non congrueret nisi illis sanguinis juxta communem usum loquendi rusti-corum, & idiotarum, qui loquendo etiam de fore-bus animalium, hæredes vocant, unde plures conve-nitiones ego vidi super venditionibus, vel divisionibus, quod enunciando equas, vel vaccas, scilicet afinas cum pullo dicunt cum hærede, sub cuius nomine ex-phca-

plicatur nullus, quem jam haberet; Nihilominus id
convenire deberet solum illis hereditibus sanguinis,
qui haberent etiam qualitatem hereditariam,
& non alios ex deducitis locis citatis de *emphyt.* &
de fiduciomiss. Et his statibus tunc respondi, quod
existentia dictarum sceminarum obstat non de-
beret, dum ipsa tanquam exclusa à Statuto, atque
efficere extranea, qualitatem hereditariam non ha-
bent.

Verum deinde, matuus reflecendo, contrari-
um probabilius videbatur, ex verisimili Partium vo-
luntate desumpta ex qualitate personarum, earum
que loquendi modo prædicto, quo attento substantia
veritatis esse videbatur, ut ita esset species con-
cessione ad tertiam generationem, comprehen-
sa persona generantis, id est Pompæ patris con-
stituentis primam, Berardelli filii constituentis se-
cundam, & filiorum Berardelli constituentium
tertiam, considerando heredes in genere id est fi-
lios, ac universam generationem, cum contrahen-
tibus utpote idiotis non congruerent ita subtili-
tates, ideoque recte intrare obserbam veram,
ac ante omnia à Judicibus præ oculis habendam
propositionem, ut in omnibus humanis actibus,
non cortex, & formula verborum, sed substantia ve-
riatis, ac verisimilis voluntatis attendi debeat, ut fe-
rè in omni materia nimis frequenter (fortè usque
ad saltidum, nunquam tamen superflue, ac inutili-
ter) adveritur, quoniam est propositio in foro, ne-
dum utilis, sed præcisè necessaria.

ROMANA DIVISIONIS HEREDITATIS INTER HERedes ANTONINI DE ANGELIS

Responsum pro veritate.

Successio testamentaria inter nepotes ex
duobus fratribus in numero inæquali,
quia nempè ex uno fratre sint tres, vel
quatuor, & ex altero unus, vel duo, an
debeat esse in capita, vel in stripes.

SUMMARIUM.

- F *Acti series.*
1 Scriptor testamenti est bonus interpres.
3 Quomodo in dagandum, an heredes sint vo-
cati in capita, vel in stripes.
4 Agitur de ista questione in casu dubio, expendun-
tur opinione, & dantur distinctiones pro decisi-
one.
5 De eadem questione in concessione emphyteutica
remissoe.

DISC. V.

I N testamento, quod lingua materna, crasso ac
rudistyle cuiusdam Religioſi, condidit An-
tonius de Angelis, instituit plures ex uno fratre
prædefuncto nepotes, quorum unum primo
genitum sibi cognitum proprio nomine appell-
avit, alios vero expressit sub nomine collectivo

fratrum dicti instituti, seu filiorum fratris defun-
cti, deinde cum nova periodo concepta per
dictionem, item, instituit in solidum cum eis alterum
nomine proprio, seu appellativo, qui ex altero pa-
riter prædefuncto fratre solus erat superstes, unde
propterea orta extra judiciali controversia inter eos,
super dicta successonis modo, an scilicet esse debe-
ret in stirpes, vel in capita, desuper pro veritate con-
corditer per utramque partem consultus.

Respondi in primis adhibendas esse diligentias
in facto, ex cuius circumstantiis desumi posset ex-
pressa, vel conjecturata testatoris voluntas, que
omnem dirimeret questionem, tam cum Religioso
scriptore testamento, quem DD. dicunt opportu-
num ambiguum voluntatis interpretem *Mantic. de 2 |*
conjectur. lib. 3. tit. 1. nn. 33. Rovit. pragm. 2. de Notar.
numer. 20. & sapientia sub tit. de fiduciomiss. & sub al-
*tero de testamentis. Quam etiam in indagandis ver-
bis, qua testator ante, vel post testamentum di-
cere solitus esset, ac etiam inspiciendo statum dictio-
rum nepotum, an scilicet illi, qui erant plures, de
bonis magis præfici essent, itaut ad adæquandam
fortunam, voluerit uni soli relinquere id, quod plu-
ribus relinquebat, sive an erga istum urgeret aliqua
ratio majoris dilectionis, ac majoris meriti; Et in
summa inquirendo substantiam verisimilis volun-
tatis, potius quam formulam verborum; Potissimum
dum agebatur de testamento condito per virum
idiotam, atque extenso per inexpertum Religio-
sum, vim ac efficaciam verborum, seu diverse ora-
tionis non callentem.*

Quatenus autem hæc omnia desicerent, adeo-
ut versarem in casu merè ambiguo, cum solis regu-
lis juris decidendo; Advertebam articulum esse
ad e dubium, ut *Rota in Clusina hereditatis coram Merlino inter suas decis. 570. alias 180. par. 6.*
*rec. ob votorum discordantiam capere non potu-
erit resolutionem, unde propterea illa decisio con-
tinet potius discursum opinionum hinc inde;*
*Quod enim successio debeat esse in stirpes, urgent
textus, qui videntur expressi in interdum, & l.*
*Titius fundi, ff. de hered. in inst. l. planè 1. §. 1. ff. de le-
gat. l. Sempronius, §. finali, ff. de usufructu legato*
*in quibus disponitur, ut vocatis aliquibus per
nomen collectivum, aliaverò persona per nomen
proprium, qualibet vocatio constitui dicatur
unum corpus, ideoque tanta sit portio omnium
contentorum in prima, quanta illa unius, &
post alios per eos deductos habetur apud Laderch.*
*cons. 8. numer. 2. Giovagn. cons. 23. numer. 1. lib. 1. &
alios, de quibus apud Merlin. dicta decis. 570. numer.
1. cum sequen. & habetur plures aëcum sub tit. de
jure patr. in qua materia frequenter ita controve-
xit contingunt.*

E conuerso autem, ut esse debeat in capita,
urget ratio resultans ex ordine intestatae successi-
onis, qui juxta magis communem, ac hodiè
receptam opinionem *Azzonis* contrâ *Accursium*
inter plures fratrum prædefunctorum filios ob-
cessantem necessitatem representationis cum pa-
truo, est in capita ex deductis in hujus causa decisio-
nibus infra allegandis, ac etiam decis. 600. par. 5.
rec. Prat. obser. 11. & pasim, cum præsumptio sit, te-
flatorem voluisse se conformare cum ordine præ-
dicto; Atque in dicta *Clusina* post editum dictum
discursum, de quo dicta decis. 570. Merlin. alias de-
cis. 180. par. 6. rec. juxta hanc secundam opinionem
ex dicta potissimum ratione capta fuit resolutio,
ut liquet ex decisione, ejusdem Merlin. 631. alias 278.
par. 6. rec. confirmata etiam coram *Panzirolo* decis.
238. par. 7. Unde propterea cum in Curia magna

De LUCA
de
testamentis
et ceteris
GVT